

MUCILAGO HELICUM sec. Mouchon. Schneefenschleim. *Mucilage de Limaçons.*

Rec. Helicum Pomatiarum No. quatuor; intestina nigra aufer, carnem lava, disseca in frustula, per quadrantem horae virga salicina exagita et succum exprime, adde Syrupi simpl. Drachm. septem, Aq. Naphae Drachm. duas, Aq. comm. Unc. tres.

MUCILAGO HELMINTHOCHOR vid. Gelatina Helminthochorti (p. 452).

MUCILAGO LICHENIS ISLANDICI paratur sicut Gelatina Lichenis Islandici, at tamen congescentia majore aquae copia admixta evitatur, e. gr. Lichen. Islandici Unc. una cum Aq. comm. Libr. una decocta ad colat. Unc. octo inspissatur.

MUCILAGO MERCURIALIS PLENCKII, s. Mucilago Gummi Arabici mercurialis. *Plenck's Quecksilberschleim.*

Ph. Wirt. Rec. Mercurii vivi Drachm. unam, Gummi Arabici Unc. semis, Aq. comm. Unc. unam, trituratione assidua subige Mercurium, donec penitus disparuerit. Cf. Mercurius gummosus PLENCKII (p. 545).

MUCILAGO OLEOSA vid. Linctus oleosus (p. 508).

MUCILAGO PSYLLII s. Seminis Psyllii. *Flöhsamenchleim.*

Rec. Sem. Psyllii Drachm. duas, Aq. tepidae Unc. unam et semis, digere interdum concutienda et exprime.

MUCILAGO SALEP, s. Radicis Salep. *Salep'schleim. Mucilage de Salep.*

Ph. Bor. ed. 5. Rec. Rad. Salep. pulv. Drachm. unam, Aq. comm. frigidae Unc. duas, bene agitando misce, donec a Radice fere imbuta fuerit, tunc admisce Aquae comm. ferv. Unc. decem et miscelam conquassa, donec frige facta sit. Cf. Gelatina Salep (p. 454).

MUCILAGO TRACACANTHAE vid. Mucilago Gummi Tragacanthae.

MURIAS. Salzaures Salz. *Muriate* vid. Nomina antiqua vel a basi derivata. Usitatiora hic indicabimus, qua voce reperiantur.

MURIAS AMMONIAE vid. Sal Ammoniacum.

MURIAS AMMONIAE FERRICUS vel **MARTIATUM** vid. Sal Ammoniacum martiatum.

MURIAS ANTIMONII vid. Butyrum Antimonii (p. 140).

MURIAS BARYTAE vid. Terra ponderosa salita.

MURIAS CALCIS vid. Calx salita (p. 148).

MURIAS FERRI vid. Ferrum muriaticum (p. 429).

MURIAS HYDRARGYRI s. hydrargyricus vid. Mercurius sublimatus corrosivus (p. 550).

MURIAS HYDRARGYRI PRAECIPITATUS vid. Calomel via humida (p. 147).

MURIAS HYDRARGYROSUS vid. Calomel (p. 146).

MURIAS MAGNESIAE vid. Magnesia muriatica (p. 537).

MURIAS MERCURII vid. Calomel (p. 146) et Mercurius sublimatus corrosivus (p. 550).

MURIAS POTASSAE vid. Sal digestivum SYLVII.

MURIAS POTASSAE HYPEROXYGENATUS vid. Kali chloricum (p. 492).

MURIAS STIBII vid. Butyrum Antimonii (p. 140).

MURIAS ZINCI vid. Butyrum Zinci (p. 143).

MUSCERDAE vid. Trochisci Catechu.

NAPHTHA ACETI. Essigäther. *Éther acétique.*

Synon. : Aether aceticus. Essignaphtsa.

Rec. Sacchari Saturni Unc. quadraginta;

in sartagine cupream vel porcellaneam immissae calore liquefiant, et inter assiduam agitationem igne sub finem moderatiore in pulverem siccissimum, a glebulis plane liberum, redigantur; tum admisce

Salis mirabilis GLAUBERI bene siccati Uncias duas.

Seorsum recipe

Spiritus Vini rectificatissimi

Uncias quindecim,

in quem in gyrum agitatum per vices affunde

Olei Vitrioli Uncias viginti; miscelam adhuc calidam affunde Saccharo Saturni interdum in retortam ingesto, agitatione bene misce liquorem cum pulvere, retortam in balneum arenae colloca et excipulum bene refrigerandum

appone. Quam ebullitio ex mixtione sponte enata cessaverit, igne supposito destillationem usque ad siccum institue.

Destillatum conquassatione misce cum Liquore Kali carbonici usque dum reactio acida disparuerit. Miscelam totam ex retorta vel ex cucurbita leni calore rectifica, quamdiu Naphtha satis pura prodit. *Part. const.* Acidi acetici anhydri, et Naphthae Vitrioli aequalia Pond. Mixt.

Vis: maxime anaesthetica, excitans, nervina.

Sit liquor limpidissimus, mobilissimus, decolor, ab omni acido liber, odoris fragrantissimi maxime grati atque recreantis, odorem Naphthae Vitrioli non prae se ferat, ex toto sit volatilis, in aquae destillatae minore quantitate quam septupla non solubilis. Pond. spec. 0,88 — 0,89. —

Usus: ad instigandas vires vitales in febris adynamicis, lipothymia, asphyxia.

De paranda Naphtha Aceti Codices multum inter sese discrepant, et liquores edant majores minoresve Aquae et Spiritus Vini copias continentes. Quando Olei Vitrioli non sufficiens copia adest, Acidum aceticum multum emergit et destillatum acidi gravidum est; quando Olei Vitrioli nimia vis adest, Naphtha Vitrioli pura destillato immixta erit. Sal mirabile, quod formulae nostrae addidimus, duos simul scopos habet. Sub finem destillationis Olei Vitrioli excedentis vis hoc sale infringitur, quia Natrum bisulphuricum enascitur, quod difficiliter decomponitur quam Acidum sulphuricum liberum, deinde placenta Plumbi sulphurici facilius ex retorta abluatur, quia particulis Natri sulphurici interpositis et solutis cohaesio Salis non solubilis tollitur. Quaedam pharmacopoeae Natrum aceticum, aliae Kali aceticum adhibent, at hoc quidem parvi est momenti, si justae copiae sumuntur. Kali aceticum vero semper acidum muriaticum continet, si ex Cineribus clavellatis praeparatum est. Acidum aceticum et Oleum Vitrioli adhibere duos jam exigit labores, qui simul exerceri possunt. Saccharum Saturni simul vilissimum atque purissimum Aci-

di acetici Sal ubique prostat. Ingredientium rationes *SOUBEIRAN* tales esse sistit. Saccharo Saturni posthabito, scilicet Kali acetici sicci Partes tres, Spiritus Vini rectss. Partes tres, Olei Vitrioli duas; vel Natri acetici siccati Part. quinque, Spiritus sex, Olei Vitrioli quatuor. Lixivium causticum in acido tollendo atque rectificatione evitandum est, quia Naphtham Aceti decomponit.

NAPHTHA ACETICA MARTIATA vid. Tinctura Ferri acetici aetherea.

NAPHTHA AMMONIACALIS, Aether ammoniacatus (Suec.). Ammoniaknaphtha. Ether ammoniacal.

Ph. Suec. Rec. Sal. Ammoniaci Unc. unam, solve in pari pondere Aq. communis et admisce Calcis vivae, aqua nuper extinctae, Unc. unam; denique adice Naphthae Vitrioli Unc. unam, et destillatione Unciam unam evoca. Citius paratur sola mixtione ex Spiritu Salis Ammoniaci et Naphthae Vitrioli pari pondere.

NAPHTHA CAMPHORATA vid. Naphtha Vitrioli camphorata.

NAPHTHA CHLORI s. chlorica, Aether bichloricus. Chloräther, schwerer Salzäther.

Rec Calcariae chlorosae optima notae Unc. sex, Aquae communis Libr. duas et semis, solve et filtra; liquori filtrato adde Spiritus Vini rectificatissimi Unc. unam, et miscelam in retortam percipacem ingere. Igne supposito destillatio instituat, tum ignis iterum auferatur, quia reactio sua sponte perget, donec liquor aethereus prodire cessaverit. Vas excipiens bene frigeat. Liquores duo eliciuntur, quorum gravior atque inferior Naphtham Chlori exhibet. Haec cum Mercurio vivo, qui Chlorum cohibeat, conquassetur atque novae destillationi subjiciatur.

Est liquor limpidus, decolor, odoris penetrantis nec ingrati, saporis calefacientis simulque dulcis. aqua gravior, fervet ad 56° R., cum Spiritu Vini facillime miscetur. *Vis:* eximia anaesthetica, excitans. A medicis Americanis multum adhibetur in asthmate, affectionibus adynamicis. Continetur Naphtha Chlori in Spiritu Salis dulci mixta cum Spiritu Vini

NAPHTHA FORMICICA, Aether formicicus. Ameisenäther, Ameisennaphtha. Ether formique.

Rec. Natri formicici bene siccati Unc. septem, in retortam ingestis infunde per tubulum miscelam Spiritus Vini rectificatissimi Unc. sex, et Olei Vitrioli Unc. decem, tubulum exemplo claude, quia reactio atque destillatio sponte sua incipiet. Naphthae dimidium destillabit antequam ignem supponere

opus est. Liquorem prolectum cum Unc. de cem Lactis calcarei bene lava, et Naphtham in vas optime muniendumingere, in quo Calcariae muriaticae fusae frustula insunt. Odo rem habet nucleorum Pericorum.

NAPHTHA HYDROCYANICA s. prussica, Aether prussicus. Blausäureäther, Methylcyanür. *Ether prussique.*

Rec. Kali sulphovinosi (ätherschwefelsaures Kali sive schwefelsaures Methyloryd-Kali) et Kali cyanati par pondus, bene mixta in retorta vitrea blanda destillationi expone, caute evitans vapores forsitan hinc inde ex retortae juncturis emergentes. Liquor obtinetur decolor vel saltem leviter colore flavo tinctus in strata duo separatus, quorum superius Naphtham hydrocyanicam exhibet. Haec cum quintuplo pondere Aquae bene lavetur, tum per aliquod tempus calori Grad. 40—50 R exponatur, denique cum frustulis Calcariae muriaticae fusae iterum destillet.

Est liquor decolor, volatilis, odoris ingrati graviter alliacei, Pond spec. 0,78, ebullit ad 65° R., Aqua non dissolvitur, sed facile Spiritu Vini et Naphtha Vitrioli.

Usus: In locum Acidi hydrocyanici hanc Naphtham substituere tentatum est; propter odorem summopere nauseosum aegroti hoc remedium adeo perhorruerunt, ut iterum plane derelictum sit. *Vis:* Acidi hydrocyanici.

NAPHTHA MERCURIALIS.

Rec. Mercur. sublimat. corrosiv. Gran quatuor, Naphthae Vitrioli Unc. semis, solve

NAPHTHA NITRI s. nitrica. Salpeteräther, salpetersaures Methyloryd. *Ether nitricus.*

Rec. Spiritus Vini rectificatissimi Unc. novem, immitte in lagenam cylindricam, altam nec minus amplam; ope tubi vitrei in apicem tenuem desinentis et in Spiritum Vini usque ad lagenae fundum immersi infunde Aquae destillatae Unc. quatuor, cavendo ne Aqua cum Spiritu commisceatur, sed strati instar sub Spiritu extendatur. Simili modo per eundem tubum vitreum infunde Acidi Nitrici fumantis Unc. octo, cavendo quoque ne acidum cum Aqua commisceatur. Lagenam, in eum locum antea constitutam, in quo mansura erat per totum operationis tempus, intactam derelinque. Orificium lagenae antea epistomio suberino muniatur, per quod tubus vitreus angustus, bis in angulum rectum recurvus, et altero crure in Spiritum Vini immersus, commissus est. Lagenae altitudo diametrum triplo superet. Operatio in loco temperato non nimis calido fiat. Post aliquod tempus strata commisceri incipient, denique strata tria priora in duo mutata erunt, quorum superius flavum Naphtham Nitri exhibebit. Haec lege artis a liquido acido inferiore separata cum solutione Kali

carbonici usque ad neutralisationem commisceatur, tum in retortulam remissa rectificetur blandissimo calore et refrigerio optimo vasis excipientis. Hic labor tempore tantum liberno, si fieri potest, instituat. Naphtha Nitri pura levi colore flavo tincta est, facillime ebullit ipso manus calore, odorem aethereum gratum pomorum reginae non absimilem prae se fert. Remedium supervacaneum propter Spiritum Nitri dulcem, quod merum nunquam propinari potest. Sunt qui Spiritum Nitri dulcem ex Naphtha Nitri et Spiritu Vini commisceri volunt, hac quidem in re nimis solliciti et ex Scilla in Charybdim incidentes, quia Naphthae Nitri praeparatio jam copiosioribus casibus adversis obnoxia est, atque Spiritus dulcis.

LIEBIGIUS alteram parandi methodum proposuit, chemico experto commodam quidem, at in officinis pharmaceuticis propter suppellectilis constituendae difficultatem non exercendam. Tempore aestivo absque glacie adhibita nil fere ea obtinetur, quare in Codice pharmaceutico praetereundam censeo.

NAPHTHA PETROLEI vid. Oleum Petrae (I, p. 197).

† **NAPHTHA PHOSPHORATA**, Naphtha Vitrioliphosphorata, Aether sulphuricus phosphoratus, Tinctura aetherea cum Phosphoro (Gall.). Phosphornaphtha, phosphorhaltiger Aether. *Ether phosphoré, Teinture éthérée de Phosphore.*

Rec. Phosphori Drachm. unam, immitte in vitrum Unciarum trium capax et affunde Spiritus Vini rectificatissimi Unc. unam; vitrum in aquam calidam impone, ut Phosphorus liquefiat, tum vitrum optime concute, donec phosphorus iterum solidifactus et in pulverem granulosum mutatus fuerit. Spiritum Vini effunde, Phosphorum cum portiunculis minutis Naphthae Vitrioli bene lava, Naphtham lavatoriam iterum effunde, et adde Naphthae Vitrioli purissimae, a Spiritu Vini et Aqua plane liberae, Uncias tres. Miscelam interdum concutiendam seponere per septimanas aliquot, denique Naphtham phosphoratam in lagenulas vitreas, optime muniendas, aqua submersas, in loco frigido atque obscuro conservandasingere. *Vis:* maxime excitans. *Usus:* in stadio februm paralytico.

Est liquor limpidus, decolor vel pallide flavus, odoris fortis Naphthae atque Phosphori, in loco obscuro vapores lucidos emittit.

Naphtha Vitrioli phosphorata Phosphoro sit saturata opus est. Hac de causa Naphtha Vitrioli ab omni Spiritu Vini sit liber-

rima, quo scilicet admixto vis solvens Naphthae summpere diminuitur. Conducit parvam Naphtha Vitrioli copiam ad hunc scopum denuo cum Aqua lavatam destillationi submittere. Hoc praeparatum facillime decomponitur, nec quod ante longum tempus paratum est, in usum vocetur. Uncia una Phosphori grana circiter quatuor continet. Pharmacopoeorum dissensum afferre non opus est. Ph. Antw., Boruss., Danic., Gall. 1837 receperunt.

NAPHTHA TEREBINTHINATA, Mixtura
DUBANDI. *Serpentinölnaphtha. Ether terebinthiné.*

Rec. Ol. Terebinth. Drachm. duas, Naphthae Vitrioli Drachm. tres. Calculos biliosos expellere praedicatur.

NAPHTHA VITRIOLI.
Schwefeläther. Ether sulfurique.

Synon.: Naphtha sulphurica, Aether sulphuricus, Aether vitriolicus. Schwefelnaphtha, Aethyloryd. *Hydrate d'éthérene, Oxyde d'éthyle.*

Rec. Spiritus Vini rectificatissimi, qui Alcoholis absoluti partes centesimas voluminis nonaginta contineat

Libras quinque,

immitte in vas ferreum fusum, quod in aquam frigidam immersum est, et inter assiduam agitationem sensim admisce

Olei Vitrioli Libras novem

et operculo imposito miscelam refrigerandam seponere. Frigefactam in retortam, in balneum arenae collocatam, per tubulum infunde, et in eundem tubulum ope epistomii suberini tubum vitreum adapta, qui subter miscelae superficiem parum submergat, externe vero bis in angulum sit recurvus. Tali modo fit, ut Spiritus Vini in retortam sensim affluere queat, absque vaporum deperditione. Vas refrigeratorium, cui externe aqua frigida vel nix large

circumdetur, cum collo retortae jungatur, et tubo quodam vitreo in ultima refrigeratorii parte affixo aëri exitus pateat ex retorta, ne explosionis periculum immineat. His bene praeparatis destillatio igne vivo et cum ebullitione perspicua instituat, et per tubum vitreum tanta

Spiritus Vini rectificatissimi moles in retortam guttatim affluat, quanta destillati copia ex refrigeratorio effluit, vel in ipso colligitur. Ope chartae gummosae signum retortae affigatur, quo liquoris bullientis superficies adnotetur; haecque per totam operationem eandem semper habere curam gere, idque Spiritu largius vel parcius affluente, quod ope epistomii abenei versatilis obtineri licet, fiat; destillatio eo perducatur, quamdiu destillatum cum pari pondere aquae mixtum Naphthae Vitrioli stratum satis altum secernat, vel donec Spiritus Vini adhibiti totius copia Olei Vitrioli quintuplum sit. Improprium est majorem Spiritus copiam injicere, quippe quae minima ex parte in Naphtham convertitur.

Destillatum misce cum pari volumine Aquae, cui Lactis calcarei parva copia, ad acidum sulphurosam figendum, admixta est, miscelam concute et absque decanthatione in retortam satis amplam (vel vesicam cupream destillatoriam immitte. Rectificatio igne moderatissimo instituat, et

destillatum in portiunculas minutas diffractum obtineatur, quamdiu justum pondus specificum = 0.725 exhibetur. Post hoc sequitur Naphtha, quae crudae et non rectificatae similis est; haec cum aqua mixta iterum destillatione subjiciatur; protinus Spiritus Vini novae parationi adjiciendus, denique aqua obtinetur. — *Part. const.* Carbonei 4, Hydrogenii 10, Oxygenii 1 Pond. Mixt. *Vis*: nervina, excitans, antispastica, carminativa.

Sit liquor decolor, limpidissimus, mobilissimus, pond. spec. 0,725 (ad 10° R.), odoris grati fortis, excitantis, aetherei, odore Olei Vini, qui ex palma irrigata atque paene siccata dignoscitur, plane liber; sit acidi omnino expers, cum flamma valde lucente, deflagrans, cum Spiritu Vini facillime omni proportione miscetur, aqua nonnisi decimam sui ponderis partem abripiat.

Usus: guttatim frustulo Sacchari imbuta sumitur pro analeptico in lipothymia; in febris nervosis, flatulentia.

In paranda Naphtha Vitrioli summa cura et circumspecte agendum, propter vaporum vim explodentem atque incendii periculum, quod ex levissima incuria enasci potest. Naphtha servetur in urceis minoribus, vel vitris viridibus fortissimis, quae securitatis causa in olla figulina cum serramentis ligni conduntur. Epistomia suberina funiculis ad vitri orificium alligentur, ne forte vaporum vi subleventur, et flamma admota explosio exoriatur. Naphtha temporis lapsu in vasis non omnino repletis acorem levem contrahit, et cum aqua novae destillationi est subjicienda. Rectificationem facilius atque perfectius cedere inveni, si vapores in vase interposito, quod aqua tepida ad Grad. 29—30 R. calefactum est, primum Spiritum et Aquam deposuerunt, deinde in refrigeratorio vero penitus condensantur. Apparatum propter nimias ambages atque difficultatem construendi in formulam superiorem introducere non ausus sum, at quibus dexteritas operandi adest, vel qui majorem Naph-

thae vim praeparandam habent, etiam atque etiam commendo. Naphtha Vitrioli enim abrupte cessat fluere, et Spiritus Vini cum Aqua mixtus in vase anteriore subcalido condensatur.

NAPHTHA VITRIOLI CAMPHORATA, Solutio Camphorae spirituosae aetherea (Suec.), Tinctura aetherea camphorata, Liquor nervinus BANGH, Spiritus sulphurico-aethereus camphoratus. Campheräther.

Ph. Danic., Suec. Rec. Camphorae Scrup. quatuor, Liquoris anodyn mineralis HOFFM. Unc. unam. Ph. Hamb. 1835 Camphorae Scrup. duos, cet. par. Ph. Hann. Camphor. Drachm. duas, Liquor. anodyn. HOFFM. Unc. unam et semis. *Vis*: nervina, antispastica, diaphoretica. *Usus*: in spasms, doloribus rheumaticis, cardialgia.

NAPHTHA VITRIOLI CUM HYDRARGYRO IODATO RUBRO.

MAGENDIE: Rec. Naphth. Vitrioli Unc. unam et semis, Mercurii iodati rubri Scrup. unum, solve.

NAPHTHA VITRIOLI IODATA.

MAGENDIE: Rec. Naphth. Vitrioli Drachm. unam, Iodi puri Gran. sex.

NAPHTHA VITRIOLI CUM OLEO CHAMOMILLAE.

MARCUS: Rec. Ol. Chamomill. Drachm. unam, Naphth. Vitrioli Drachm. duas.

NAPHTHA ZINCI s. zincica. Zinkhaltiger Äther. *Ether zincé.*

Rec. Zinci muriatici sicci Drachm. unam, Spir. Vini rectiss. Drachm. duas, Naphthae Vitrioli Unc. semis.

NARCOTINUM, Opianum, Narcotin, Opian, Derosnishes Salz. *Narcotine, Sel de Derosne.*

Rec. Placentam Opii ex paratione Morphii residuam et cum aqua pura exhaustam, digere cum aqua ope Acidi muriatici aerefacta; filtra, praecipita cum Spiritu Salis Ammoniaci, et praecipitatum coque cum Spiritu vini rectificatissimo, fervidum filtra in infundibulo bene tecto, et liquorem refrigerandum seponere. Crystalli Narcotini sensim concresecunt. Liquorem innatantem iterum coque cum residuo, quamdiu refrigeratus crystallos demittet. Si Opium cum Aqua acida extractum est, Narcotinum optime Lixivio caustico kalino praecipitatur, a quo Morphium iterum dissolvitur. Praecipitatum quoque ope Spiritus Vini fermentis in crystallos abeat. *Vis medica nulla.* *Usus* nondum factus est.

NASALIA vid. Errhina (p. 371).

NATRIUM BROMATUM. Bromnatrium.
Bromure de Jodium.

Rec. Bromi q. v., adde Aquae sextuplum et affunde Lixivium causticum natrium, donec liquor colorem amisit. Solutionem ad siccum evapora, in crucibulo platineo obiecto leviter ure, quamdiu Oxygenium extricatur; massam frige factam solve in aqua destillata, filtra, et leni evaporatione in crystallos redige. Crystalli cubicae difficulter exoriuntur; solutionem ergo ad siccum evaporare licet.

NATRIUM IODATUM. Iodnatrium. *Iodure de Sodium.*

Rec. Limaturae Ferri Unc. semis, Aquae dest. Unc. duas, Iodi Unc. duas; misce in sartagine ferrea fusa, et sepone donec color Iodi soluti disparuerit. Absque filtratione solutionem Ferri Iodati calefac ad ebullitionem, et admixta solutione Natri carbonici exacte praecipita Ferrum, quod levi reactione alcalina dignoscitur, filtra, solutionem evaporatione in crystallos redige. Crystalli ex liquore calido oriundae anhydrae sunt, ex frigido hydratae. Non nisi anhydrae praeparantur atque adhibeantur. *Vis et usus:* Kalii iodati Est plane supervacaneum, et propter deliquescentiam incommodum atque rejiciendum.

NATRIUM SULPHURATO-STIBIATUM, Sulphuretum Natrii et Stibii, Sal Schlippiannum, Sulpho-Stibias natricus (BERZELIUS), Natrium sulfantimoniatum. Schwefelantimonnatrium, Antimonschwefeliges Schwefelnatrium, Schlippe'sches Salz, Schwefelhaltiges Hydrothionsaures Antimonoxyd = Natrium, Antimonpersulfid = Natrium. *Sulfure de Sodium et d'Antimoine.*

Rec. Calcariae ustae optima notae Libram unam, affunde Aquae communis tepidae Libras sex, et sepone ut in pulvem mollem dilabatur. Seorsum recipe Salis Sodae crystallatae Libras quatuor et semis, immitte in sartagine ferream fuscam, adice Aquae communis Libras viginti, et fac ut ebulliant. Sali Sodae ferventi sensim admisce pulvem calcaream, interdum coque, donec Sal Sodae a calcarea penitus causticum factum sit; solutioni adhuc ferventi adice Florum Sulphuris Uncias sex, et Antimonii crudi laevigati Libram unam et semis, et denuo coque per horam integram. Vas obiectum seponatur ut sedimentum inum petat, tum liquorem limpidum innatantem siphonis vitrei ope in lagenas rite claudendas trans mitte. Residuum denuo coque cum Aquae communis Libris sex vel octo, et liquidum a sedimento purum iterum per siphonem abstrahere. Liquores limpidos collectos in sartagine ferream fuscam illam, interdum mundefactam, refunde et igne vivo

ad crystallationem decoque. Crystallos exentas charta bibula alba ablue, et leviter siccatas conde. *Part. const.* Antimonii supersulphurati unum, Natrii sulphurati unum, Aquae duodecim Pond. Mixt.

Refert Crystallos tetraedras, quam plurimum confertas, splendentes, ex re ipsa coloris expertes, at plurimum parum flavescentes, in Aquae fervidae pari pondere solubiles, ex hac solutione acidis dilutis aurantiacum praecipitandas. Asservatae flavescunt, et maculis rubellis hinc inde adpinguntur.

Hoc Sal per se nunquam adhibetur, sed inservit Sulphuri aurato Antimonii parando. Absque decompositione glisciente non asservari potest, quare nunquam praesto habetur, sed, quando opus eo est, praeparatur. Proportiones chemicas ingredientium facile est ad calculum referre; sed rarius hae cum praxi congruunt, quia partes aliquantulae extra actionem chemicam ponuntur, e. gr. Antimonii crudi, nisi satis laevigatum fuerit.

NATRUM ACETICUM vid. Terra foliata Tartari crystallisabilis.

† NATRUM ARSENICICUM, Arsenias Sodae, s. sodicus. Arsenisfaures Natron. *Arseniate de Soude.*

Rec. Nitri cubici depurati (Natrium nitricum) Unc. (vel Drachmas ubique) duodecim et semis, intime misce cum Arsenici albi pulverati Unc. quatuordecim et semis, mixta in crucibuloingere et prudenter ure, nimiam et superfluum furni anemii viciniam, caute evitans. Massam frige factam crucibulo diffracto exime solve in aqua destillata, et solutionem acidam saturam cum solutione Natri carbonici, ad quem usum Unciae circiter viginti solvantur, usque tum reactio alcalina fortiter atque distincte praevalcat. Evaporatione crystalli concresecant, lixivium matris denuo cum Natro carbonico saturata iterum crystallos edunt. Crystalli prismata hexaedra exhibent, reactione alcalina gaudent. *Vis:* venenosissima. *Usus:* in Liquore arsenicali PEARSONI (p. 520).

† NATRUM ARSENICOSUM, Arsenis Natri. Arsenisfaures Natron. *Arsenite de Soude.*

Rec. Arsenici albi subtilissime pulverati Drachm. unam, Natri carbonici crystallisati Drachm. unam et semis, Aquae dest. Unc. unam et semis; assidua coctione solve, filtra, et ad siccum redige. *Usus nullus.* HARLESS solutionem Natri arsenicosi proposuit, propter Liquorem arsenicalem FOWLERI supervacaneam.

NATRUM BORACICUM vid. Borax (I, p. 22).

NATRUM BICARBONICUM. Doppelt kohlensaures Natron. *Bicarbonate de Soude.*

Synon. : Natrum carbonicum acidulum, Bicarbonas Sodae s. natrinus cum Aqua, Carbonas neutrum Sodae, Alkali minerale perfecte saturatum, Sal Sodae aëratum. Gefättigt luftsaure Soda.

Rec. Salis Sodae in vase fictili vel ferreo mundissimo penitus exsiccati

Libras tres,
Salis Sodae crystallisati

Libram unam,

intime mixta et laxe strata in vas idoneumingere, in quo torrentem

Gas carbonici

ex Cretae frustulis totis et Acido muriatico crudo cum duplo Aquae diluto a fundo superum versus per Sal Sodae transmittit. Ab initio Gas carbonicum tardius absorbetur, et Acidi muriatici in Cretam instillatio hac de causa moderetur. Quum vero Gas carbonicum a Sale citius absorberi incipiet, Sal sensim calefiat, et nunc Acidum largius in Cretam affundatur, ut saturatio quam brevissimo tempore efficiatur. Calor exortus quum per totam massam salinam migraverit, quod torrente copioso cito fit, acidi affusionem in Cretam intercipe, et apparatus gas carbonico repletum aliquot dies sibi derelinque. Massam salinam deinde exime, in pulverem contere, cum Aquae destillatae parva copia in pulvrem redige, hanc in infundibulum satis capax interne nodulo gassyfino obstructumingere et pauxillo Aquae destillatae ad methodum elixivatorium lava, ut Aqua tota adhibita Sal Sodae aequiparet.

Massam salinam ablutam et a vestigiis Natri sulphurici vel muriatici nunc liberam aëri expositam penitus exsicca. *Part. const.* : Natri unum, Acidi carbonici duo, Aquae unum Pond. Mixt. — *Vis* : incidens, solvens, digestiva, lithontrip-tica.

Sit pulvis albus, saporis mitis non alcalini nisi sub finem degustationis, aëre persistens, solutus cum solutione Salis amari non generans praecipitatum, solutus cum Acido nitrico excedente mixtus neque cum Liquore Argenti nitrici vel Barytae nitricae turbidus fiat. *Usus* : in calculis urinariis, digestionem debilitata, soda stomachi.

In exhibenda formula pro parando Natro bicarbonico dubio locus esse nequit. Secundum modum illum mox descriptum Sal citissime vilissimique pretii obtinetur, quod quidem in tanta consumptione summo per se spectetur. De singulis apparatus partibus accuratius legem dicere, inconcinnum esse duximus, quia singuli ex vasis, quae sunt in promptu, haec ad arbitrium suum construere debent. At in adnotatione quaedam hac de re afferri oportet.

Vas, in quo saturatio fiat, sit cylindricum, nec orificium habeat contractum, quia massa salina saturatione in molem integram duram concreta aliter ex eo desumi nequit. Ex lagenae colli angustioris absque ruptura Sal non exit. Idem fere valet de tubis vitreis longis. Satis bene quadrat lagenae cylindrica fundo ope carbonis ruptorii (Sprengföhle) demto, et margine in lapide cum arena iterum laevigata. Haec inversa in suppellectili idonea constituatur, per orificium, nunc inferum, Gas ope tubi vitrei vel plumbei per epistomium suberinum admittatur. In fundo lagenae, ubi in collum contractum abire incipit, tabulam ligneam rotundam, foraminibus multis perviam, colloca, in hanc chartam bibulam rotundam expansam, inque hanc denique Sal saturandum absque concussionem leviter sterne. Orificium amplum superum vesica bubula humida expansa et acu passim perforata praeccludatur, per quam aër atmosphaericus exeat. Operculum e lamina cuprea confectum et ope fasciarum chartae adglutinatum quoque conducit. Per foramen parvum in hoc operculo, ad libitum claudendum, aëri atmosphaerico exitus pateat.

Acidum muriaticum vel sulphuricum sumas, nil interest; ergo hac in re pecuniae

parsimoniam consule; amborum pari pretio Acidum muriaticum anteponatur, quum commodius est in usu. Scriptores Gallici Sal Sodae crystallisatum nec partim desiccatum, saturari proponunt. Hoc satis bene fit in suppellectili idoneo forti metallo; aqua crystallisationis saturatione extricata effluit et salium alienorum vestigia secum abripit. At saturatio multo tardius cedit quam in Sale rite siccato, quare hanc methodum pro laboratorii pharmacopolarum commendare non audeo. Commodissimum est Sal Sodae crystallisatum in saeculum chartaceum inclusum tandiu in locum tepidum disponere, donec ponderis dimidium amiserit. Sal tali modo anhydrum mundissimum obtinetur a quisquiliis et coloris candidissimi; quod vero in igne aperto desiccatur, facile cinerascit. Denique adnotatione dignum est Sal Sodae aëratum in mercatura optimae notae atque vilioris pretii vendi, quam a pharmacopoeo parari potest.

NATRUM CARBONICUM ACIDULUM vid. Natrum bicarbonicum.

NATRUM CARBONICUM CRUDUM s. **CRYSTALLISATUM** vid. Sal Sodae emale (I, p. 303).

NATRUM CARBONICUM DEPURATUM, *Carbonas Sodae depuratus. Gereinigtes kohlenfaures Natron. Carbonate de Soude depurée.*

Natrum carbonicum, quod ab officinis chemicis in commercium immittitur satis purum pro usu pharmaceutico obvenit, nec depuratione ulteriore eget. Quod quidem si impurius prostat, vel casu quodam fortuito inquinatum est, crystallisatione repetita depuratur. Hunc in finem Sal emale dissolve in quintupla copia aquae pluvialis fervidae, filtra, et liquores filtratos ad crystallisationis densitatem evaporatione reductos in locum frigidum sepone, ut crystalli nascantur. Lixivia matris iterum evaporent, quamdiu crystallos satis puras edunt; ultimo nascentes pro altera depuratione serva. — Natrum carbonicum chemice, quod vocant, purum tali modo obtinetur. Sal Sodae emale bonae notae dissolve in Aquae destillatae fervidae ea copia, quae a Sale penitus saturetur, et ulteriorem Salis copiam dissolvere recusat. Solutionem refrigerescentem continuo agita, ut crystalli minimae aciculares oriantur. Pulvem liquidam in infundibulum satis capax conjice, et minutis Aquae destillatae copiis lava, donec liquores transgressi cum Acido nitrico mixti neque a Baryta nitrica neque ab Argento nitrico turbentur. Crystallos in charta bibula expansas sicca. Usus chemicus reactorius.

NATRUM CARBONICUM DEPURATUM SICCUM. *Zwischen kohlenfaures Natron. Carbonate de Soude desseché.*

Plures Pharmacopoeae Natrum carbonicum depuratum in loco tepido fatiscere suadent; at haec praeparati forma incertas aquae et salis partes continere potest. Aut Natrum carbonicum crystallisatum integrum, vel calore fortiore penitus exsiccatum atque anhydrum est adhibendum, neque dubio facile evitandus locus concedendus. Ph. Bor. ed. 5, Hann., Hamb. 1835, Slesv.-Hols. illam superiorem methodum praeceperunt.

NATRUM HYDROIODICUM vid. Natrium iodatum.

NATRUM HYPOSULPHUROSUM, *Hyposulphuris Sodae s. sodicus. Unterschwefligsaures Natron. Hyposulfite de Soude.*

Rec. Salis Sodae emalis Unc. octo, dissolve in Aquae destillatae Unc. sedecim, in hanc solutionem injice Florum Sulphuris Unc. unam, et torrentem Gas sulphurosi, ex pulvere grossiusculo Carbonum Ligni cum Oleo Vitrioli irrorato caloris ope extricati, per solutionem transmittite. Quando aër sulphureus protinus suscipi recusabitur, solutionem per breve tempus fac ebullire, filtra, et blando calore ad crystallisationis densitatem consume. Tum sepone ut crystalli concrecant Ph. Gall. 1837 proposuit Quid sibi velit in re medica nescio; in methodo heliographica DAGUERRI magnas partes agit.

NATRUM MURIATICUM HYPEROXYGENATUM s. chloricum, Chloras natri cum Aqua. *Hyperoxygenirt salzaures Natron, Chlorsaures Natron. Chlorate de Soude.*

Ph Slesv.-Hols. Rec. Acidi tartarici Unc. quinque, solve in Aq. dest. fervidae Libr. duabus, adde Natri carbonici depurati cryst. Unc. quatuor cum Drachm. quinque et dimidia; seorsum recipe Kali chlorici Unc. quatuor cum Granis quindecim, solve in Aquae fervidae Unc. sedecim, solutiones adhuc fervidas commisce et in loco frigido sepone. Tum liquor a praecipitato (Cremore Tartari) filtratione separetur, ad cuticulam evaporet, et lege artis in crystallos redigatur.

Sint crystalli rhomboideae, seu tetragonotabulares, decolores, saporis parum austeri, pungentis, in tribus partibus aquae etiam in Spiritu Vini rectificatissimo solubiles, in aëre humido paululum humescentes. Ne confundatur cum Liquore LABARRAQUE vel Natro chlorato.

NATRUM MURIATICUM DEPURATUM vid. Sal commune depuratum.

NATRUM NITRICUM DEPURATUM, Nitrum cubicum depuratum. Sereinigtes salpetersaures Natron. Reiner Chilesalpeter. *Nitrate de Soude épuré.*

Rec. Nitri de Chili erudi (roher Chilesalpeter) q. v., dissolve in aquae pluvialis dupla copia ope caloris, filtra per pannum linteum, et ad crystallisationem fac evaporare. Lixivia matris denuo evaporata iterum crystallas emittunt, crystalli ultimo concretæ pro depuratione nova reserventur. Nunc nemini in mentem venit Nitrum cubicum purum ex Acido nitrico et Natro carbonico parare. Quodsi vero unica depuratione non satis purum exit, alteri crystallisationi subjiçiat. Propter pretii vilitatem hæc methodus ubique facillima atque crumena commodissima.

Sint crystalli decolores, pellucidæ, rhomboido-cubicæ, saporis Nitri communis non absimiles, in aëre sicco persistentes, in humido humorem colligentes atque deliquescentes, dissolvuntur in dupla copia Aquae frigidæ, et aequali minore fervidæ.

Usus: rarus hinc inde in Nitri communis loco, propter hoc supervacaneum esse videtur in materia medica.

NATRUM PHOSPHORICUM. Phosphorsaures Natron. *Phosphate de Soude.*

Synon.: Phosphas Sodæ, Subphosphas Sodæ, Phosphas natricus, Alkali minerale phosphoratum, Sal catharticum PEARSONI, Sal mirabile perlatum, Soda phosphorata.

Rec. Acidi phosphorici ex Ossibus parati q. v.,

dilue cum Aquae communis pondere sextuplo vel octuplo; calefactis sensim adde

Natrum carbonicum depuratum

in frustis totis, quamdiu effervescentia exoritur, et donec reactio alcalina perspicua appareat. Liquor calefactus et filtratus evaporet, donec gutta lapidi vel laminae metallicæ instillata crystallas edat, tum in vase porcellaneo per

viginti quatuor horas in loco frigido ad crystallisationem seponatur. Liquor effusus a crystallis ortis iterum evaporet, quamdiu crystallas largitur, quas bene siccatas in vase vitreo vel figulino clauso serva.

Part. const. Natri duo, Acidi phosphorici unum, Aquae Oxydi vicariae unum, Aquae hydraticae viginti quatuor Pond. *Mixt. — Vis:* blande laxans, refrigerans.

Sint crystalli prismatico-tetragonæ, recentes pellucidæ, celeriter fatiscentes, saporis subamari, subsalsi mitis, refrigerantis, in Aquae partibus quatuor, fervidæ partibus duabus solubiles. Solutio aquosa addito liquore barytae nitricæ præcipitatum album, liquore argenti nitrici præcipitatum pallide flavum demittat, utrumque in acido nitrico maxima ex parte iterum solvendum; gase hydro-sulphurato vel ammonio hydrosulphurato solutio ne turbetur. Reactio leviter sit alcalina, nec tamen acidis affusis effervescentia cieatur.

Usus: in sanguinis aestu, febribus.

Acidum phosphoricum ne ante saturationem ignitum sit, curam gere; crystalli enim difficulter concrecentes obtinentur mixtæ metaphosphoricæ et phosphoricæ. Præparatio ex Acido phosphorico et Sale communi male cedit, propter intumescentiam mixtorum et ponderum incertitudinem.

NATRUM PHOSPHORICUM SICCUM. Trocknes phosphorsaures Natron. *Phosphate de Soude desecché.*

Ph. Hamb. Sal crystallisatum moderato hypocausti calore fatiscat.

NATRUM SUBBORACICUM vid. Borax (I, p. 22).

NATRUM SUBCARBONICUM vid. Natrum carbonicum.

NATRUM SULPHURATUM vid. Hepar Sulphuris natrium (p. 464).

NATRUM SULPHURICUM vid. Sal mirabile CLAUDETI (I, p. 302) et depuratum infra.

NATRUM TARTARICUM, *Tartras natricus neutralis*. *Neutrales weinsaures Natron*. *Tartrate de Soude*.

Rec. Acidi tartarici Unc. quatuor, Aquae destillatae Libr. unam, dissolve caloris ope, et sensim adijce Sal Sodae crystallisatum, donec solutio neutralis facta fuerit, quod chartis exploratoriis tinctis dignoscitur. Salis Sodae duplum fere, quod erat Acidum tartaricum, requiritur. Solutionem cauta evaporatione in crystallos redige.

Crystalli aëre persistentes, aquae frigidae quintuplo solubiles. Loco Salis *SEIGNETTE* et Tartari tartarisati in usum vocatum. At supervacaneum propter haec esse videtur.

NATRUM TARTARICUM ACIDULUM, *Tartras natricus acidus*. *Saures weinsaures Natron*. *Tartrate acide de Soude*.

Rec. Acidi tartarici Unc. quatuor, Aquae destillatae Libr. unam, Salis Sodae q. s. ad neutralisationem, quae simili modo atque in voce praecedente efficitur. Solutioni adijce Acidi tartarici Unc. quatuor, solve, (filtra si opus est), et in crystallos redige. Saporis acidi, parum salsi.

NATRUM TARTARISATUM vid. Sal *SEIGNETTE*.

NATRUM VITRIOLATUM vid. Sal mirabile *GLAUBERI*.

NECTAR NEAPOLITANUM, *Nettare di Napoli*, est aphrodisiacum nocivum, virtutem suam stimulantem a *Cantharidibus* derivans.

† **NEPENTHES AUREUM**, *Laudanum pretiosum* Disp. Norimb.

Rec. Extr. Opii Unc. unam, — Croci Drachm. duas, Croci Scrup. duos, Resinae Ligni Aloës, Ambr. gris. $\frac{2a}{2a}$ Scrup. unum, misce.

† **NICOTIUM**, *Nicotinum*. *Nicotin*.

Herbam *Nicotianae* siccam extrahe cum aqua ope Acidi sulphurici leviter aerefacta; Liquorem ad extracti spissitudinem fac evaporare; extractum cum Spiritu Vini (0,817) digere, spiritum distillatione evoca, adde residuo Lac *Calcariae* et distillationem institue. Destillatum cum *Naphtha Vitrioli* concute, solutionem aetheream cum Calce salita fusa concute, quamdiu haec irrigatur, tum *Naphtham* blanda distillatione elice. Residuum caute ex balneo *Calcis salitae* semel destillet. *Vis*: eximie narcotica, venenosa; oculi irin non dilatat. *Usus*: nullus adhuc. *Herbae Nicotianae* vis summopere in *Nicotio* habitare videtur.

NIHILUM ALBUM vid. Flores *Zinci* (p. 434).

NITRAS vide nomina antiqua sive a basi derivata

NITRAS AMMONIAE vid. *Nitrum flammans*

NITRAS ARGENTI vid. *Argentum nitricum* (p. 100) et *Lapis infernalis* (p. 501).

NITRAS ARGENTI AMMONIACALIS vid. *Argentum ammoniato-nitricum* (p. 100).

NITRAS BISMUTHI vid. *Magisterium Marcasitae* (p. 536).

NITRAS CALCIS vid. *Calcaria nitrica* (p. 145).

NITRAS CHINII vid. *Chinium nitricum* (p. 176).

NITRAS CUPRI vid. *Cuprum nitricum* (p. 212).

NITRAS HYDRARGYRI vid. *Mercurius nitrosus* (p. 546).

NITRAS KALICUS = *Nitrum depuratum*.

NITRAS NATRICUS = *Natrum nitricum depuratum*.

NITRUM ALCALISATUM vid. *Nitrum fixum*.

NITRUM AMMONIACALE vid. *Nitrum flammans*.

NITRUM ANTIMONIATUM ex aquis lavatorii *Antimonii* diaphoretici obtinetur; mixtio *Kali sulphurici*, *antimonici* atque *nitrici*.

NITRUM CACHECTICUM CHALYBEATUM Disp. Hamb. cet. cet.

Rec. *Vitrioli Martis* Unc. quatuor, *Arcani duplicati* Unc. quinque, *Nitri purificati* Unc. septem, mixta ad *rubedinem calcina*.

NITRUM CALCAREUM vid. *Calcaria nitrica* (p. 145).

NITRUM CATHARTICUM vel *Terra foliata Nitri* est *Kali aceticum*.

NITRUM CUBICUM DEPURATUM vid. *Natrum nitricum depuratum*.

NITRUM DEPURATUM.
Gereinigter Salpeter. *Salpêtre purifié*.

Synon.: *Kali nitricum depuratum*, *Nitras Potassae kalicus s. purus*, *s. crystallisatus*. *Salpeterfaures Kali*. *Nitre*, *Sel de Nitre purifié*.

Rec. *Nitri crudi* quantum vis, dissolve in aquae fervidae duplo, et solutioni instilla Liquorem *Cinerum clavellatorum*

quamdiu haec turbatur, tum liquor filtretur et seponatur, ut crystalli concrecant. Liquor residuus ad dimidium evaporatione reductus denuo seponatur, quae operatio repetenda est, quamdiu crystalli satis purae inveniuntur. Quae sub finem crystallisationis prodeunt, alteri depurationi iterum subjiciantur. Crystallos siccitas conde. *Part. const.* Kali et Acidi nitrici aequalia Pond. *Mixt.* — *Vis:* refrigerans, antiphlogistica, diuretica.

Sint crystalli decolores, prismatohexagonae, siccatae, compressae strepentes, in septem partibus aquae frigidae, minore quam pari quantitate bullientis solubiles, aëre persistentes, saporis salsi amari refrigerantis, pond. spec. 1,93. Nitrum caloris ope primum funditur absque aqua, calore auctiore decomponitur. Sit a salibus terrenis, quae adjecto Liquore Salis Tartari turbiditate alba, vel metallicis, quae Ammonio hydrosulphurato dignoscuntur, plane liberum. A Chloro vel Sale communi sit paene liberum, et cum solutione Argenti nitrici turbiditatem nullam vel ad summum levem opalescentiam exhibeat.

Nitrum depuratum in commercio satis purum obvenit, et absque ulteriore labore in usum medicum potest adscisci. Quod si verum, quod depuratum dicitur, nimia Chlori vel Salis communis copia adhuc pollet, facile per hanc methodum depuratur. Nitrum in pulverem grossiusculum conquassatum cum Aquae pluvialis sufficiente copia in pulvem humidam redigatur, haec in vas figulinum, in quibus Saccharum concrecere solet (vel infundibulum aut vas quodvis aptum) immittatur et foramen inferius ope epistomii suberini obturetur per viginti quatuor horas; tum epistomio demto liquor totus a crystallis comminutis effluat. Superne Nitro impone Chartam bibulam rotundam marginibus in altum rectis; hanc ubicunque aequaliter adprime, et Aquae destillatae portiunculas minutas chartae infunde, quae lixiviationem Nitri conficiunt per methodum depulsoriam. Nitrum post hoc exsiccecur,

vel si a quisquillis non sit liberum, per crystallisationem depuretur. Denique Nitrum venale, quod praeter Chlorureti parvam immixtionem purum est, ab hoc facillime ope Acidi nitrici liberatur. Rec. Nitri depurati venalis, quale in mercatura prostat, crystallisati non immundi q. v., contunde in mortario aheneo vel lapideo in pulverem subtilissimum, hunc per cribrum trajice. Hujus pulveris quantum vis immitte in patinam porcellaneam (vel ferream encausto obductam) satis capaceam, et adspere Acidi nitrici puri et decoloris partem sedecimam Nitri, optime pistilli ope pulverem disterge, denique igne moderato inter assiduam agitationem (vapores nitricos evitans) in pulveris siccissimi speciem redige. Sub finem vapores nitrici evolvi cessavisse opus est. Pulvis aqua solutus chartam exploratoriam coeruleam non tingat.

NITRUM FIXUM, Fluxus albus, Nitrum per Tartarum fixum, Nitrum carbonibus fixum s. alcalisatum. *Sixtiter Weinslein.*

a) *carbonibus fixum:* Rec. Nitri depurati q. v., in crucibulo Hassiaco fundatur ut rubescat paene, et carbones injecti ignem corripiant; tum sensim carbones grossiuscule comminutos in crucibulum conjice, quamdiu deflagratio fit; residuum per horae quadrantem igniatur, refrigeratum aqua solvatur, filtretur et ad siccitatem iterum evaporet. b) *per Tartarum fixum:* Rec. Nitri depurati. Cremoris Tartari $\frac{1}{2}$ par pondus, intime misce, in mortarium ferreumingere, et carbone urente admoto accende; residuum dissolve in aqua, filtra et iterum ad siccum redige.

Nitrum fixum quondam loco Salis Tartari adhibitum est; quod carbonibus coufigitur quisquillas cinerum continere potest scilicet Kali muriaticum, sulphuricum, Silicium, et propter jacturam non evitandam sumtuosum est, quod vero cum Tartaro ad albedinem uritur facillime Nitrite kalico inquinatum est. Pro Nitro fixo impuro melius quadrant Cineres clavellati depurati, pro Nitro fixo puro Sal Tartari, quas voces consule.

NITRUM FLAMMANS, Ammonium nitricum, Nitras Ammoniacae, Sal Ammoniacum nitrosum, Alkali volatile nitratum, Nitrum inflammabile s. ammoniacale. *Flammender, brennbarer Salpeter, salpetersaures Ammoniak. Nitrate d'Ammoniaque, Nitre inflammable.*

Rec Acidum nitricum purum aqua parum dilutum saturatum cum Sale volatili (Ammonio carbonico) vel Spiritu Salis Ammoniaci usque ad reactionem leviter alcalinam,

tum evaporatione in crystallos redige; liquidum remanens iterum evaporet. Crystallus collectas sicca et serva in vase bene clauso. *Part. const.* Ammonii duo, Acidi nitrici unum, Aquae unum Pond. Mixt. *Vis:* diuretica ut ajunt. Non amplius adhibetur. Aquam ex aëre colligit, quare bene praecludatur.

NITRUM FUSUM vid. Lapis Prunellae (p. 502).

NITRUM INFLAMMABILE vid. Nitrum flammans

NITRUM PAPAVERATUM est Nitrum ex Infuso Papaveris crystallisatum.

NITRUM PERLATUM Ph. Wirt.

Rec. Nitri depurati Unc. quatuor, Matris Perlarum praeeparatae Unc. semis. m.

NITRUM PONDEROSUM vid. Baryta nitrica (p. 127).

NITRUM PURIFICATUM, PURISSIMUM vid. Nitrum depuratum.

NITRUM RHOMBOIDALE vid. Natrum nitricum depuratum.

NITRUM ROSATUM Ph. Wirt.

est Nitrum ex Infuso Rosarum rubrarum crystallisatum.

NITRUM SATURNINUM Ph. Wirt.

Rec. Nitri crudi Unc. tres, Sacchari Saturni Unc. duas, soluta in Aq. Rosarum ad siccum evaporent.

NITRUM TABULATUM vid. Lapis Prunellae (p. 502).

NITRUM TARTARISATUM est Nitrum verum ex Oleo Tartari per deliquium et Acido nitrico recompositum.

NITRUM TERRAE PONDEROSAE vid. Baryta nitrica (p. 127).

NITRUM VITRIOLATUM vid. Arcanum duplicatum (p. 99).

NODULUS PURGANS SAUNDER.

Rec. Hb. Trifolii, — Fumariae $\frac{aa}{aa}$ Unc. semis, Rad. Pimpinell. Drachm. tres, — Gentian., Cort. Cascarill. $\frac{aa}{aa}$ Unc. semis, Cort. Aurant. Drachm. sex, Sem. Dauci, — Anethi $\frac{aa}{aa}$ Drachm. duas, Rad. Rhei Unc. semis, Fol. Senn. Drachm. sex, Sal. amari Unc. duas.

OCULI CANCRORUM CITRATI parentur ex Oculis Cancrorum sicut Conchae citratae (p. 193).

OCULI CANCRORUM PRAEPARATI vid. Lapides (p. 500).

ODORAMENTUM SICCCUM PRO INFIRMITATE. Häucherung bei Ohnmächten.

Rec. Sal. Ammon. Drachm. unam, Calcar. ust. Drachm. duas, seorsim pulverata misce et immitte in vitrum obturamento vitreo munitum; vel: Kali sulphur. acidul. Drachm. duas, Kali acetici Drachm. unam, misce et

Aceto radicali humecta; vel: Sal. Cornu Cervi depur. Scrup. unum, Sacch. albi Unc. semis, Ol. Menth. pip. Gutt. duodecim.

OESYPUS PRAEPARATUS. Gereinigtes Bellfett.

Oesyus crudus (I, p. 191) in aqua fervida dissolvitur, colatur et ad extracti molles consistentiam redigitur.

OFFA ALBA HELMONTII Disp. Brunsv.

Rec. Salis Alkali volatilis sicca. q. v., in stilla lenissime ac in loco frigido Spiritus Vini rectificatissimi q. s. ut nascatur coagulum.

OLEO - CERATUM AQUA SUBACTUM vid. Ceratum GALENI refrigerans.

OLEO - SACCHARUM vid. Elaeosaccharum (p. 253).

OLEUM ABSINTHII. Ber-muthöl. *Huile essentielle d'Absinthe.*

Synon.: Oleum Absinthii aethereum s. essentialis s. stillatum, Aetheroleum Absinthii, Weentliches Ber-muthöl.

Rec. Herbae (summitatum) Absinthii vulgaris cum semine fere maturo recens siccatae quantum vis, in vesicam cupream immiscae affunde Aquae communis quantum satis ut haec large superemineat herbae humectatae, neque adustionis periculum immineat (quod ut evitetur conducit crateram ferream fusam rotundam ubique venalem, vel laminam ferream foraminibus parvis perviam in fundo vesicae ponere, ne herba fundum ipsum tangat). Destillatio cum continua ebullitione instituatur, donec aquae adhibitae dimidia pars transgressa fuerit. Oleum aethereum aquae in lagena Florentina innatans lege artis separetur. Aqua destillata oleo saturata cum nova Herbae Absinthii copia, addita aqua fontana sufficiente denuo destillet et oleum iterum separetur, haecque operatio repetatur, donec Olei justa copia obtenta fuerit.

Serva in vitro probe clauso ex toto fere replendo.

Sit coloris saturate viridis, lucis vi in fuscum mutantis, spissiusculum; pond. spec. 0,960, saporis aromatico-amari, ingrati.

OLEUM ABSINTHII COCTUM s. INFUSUM. Gefochtes *Bermuthöl*.

Huile gras d'Absinthe.

Rec. Hb. Absinthii recentis siccatae Libram unam, concide ope cultri oscillatorii, tum optime contunde in mortario cum Spiritu Vini rectificatissimi pauxillo, ut herba parce irrigata appareat. Massam humectatam digere in vase clauso per aliquot horas, tum adde Olei Olivarum Libras tres et coque in vase ferreo vel porcellaneo, donec Spiritus penitus avolaverit, et herba bene siccata fuerit, quod strepitu quodam sicco herbae agitatae dignoscitur. Exprime ex linteo. Residuum digere cum Olei Olivarum Libra una, et iterum exprime. Olea expressa mixta filtra per chartam emporeticam. Serva in vase non nimium capace, bene clauso, at non ultra annum.

Sit limpidum, coloris e flavo viridis, odoris Absinthii, non rancidi.

Olea cocta rancorem facile contrahunt. Nostra formula, viam mediam inter Codices dissentientes secuta, quoad ponderum rationem ex Ph. Slesv.-Hols. derivatur. Cum hac conveniunt Ph. Bat., Belg. et Parm. Pro singulis Hb. Absinthii recentis Unciis duas Olei Uncias Ph. Fuld., Sard. proponunt; Hb. Absinthii sicc. Unc. unam, Ol. Olivar. Unc. octo Ph. Bor. ed. 5, Hann., Ol. Olivar. Unc. tres, Ph. Dan., Oldenb., Polon., Palat., Ceterarum varietates in re tam exigua perillustrare vix opus est. Qui Herbam recentem praecipunt, ad humiditatis consumptionem coqui volunt, id oleo prunis ardentibus insperso eo dignoscitur quod absque crepitatione deflagret. Herba sicca nostra praeparatione in herbae recentis virtutem fere reducit. Ph. Saxon. 1837 in locum Olei cocti Oleum, quod nominat mixtum, proposuit. Hoc paratur ex Olei Olivar. Unc. una, et Olei Absinthii aetherei Gutta una.

OLEUM ABSINTHII MIXTUM Ph. Saxon. vid. antecedens.

OLEUM ABSINTHII TEREBINTHINATUM Ph. Hann.

Rec. Hb. Absinthii cum semine fere maturo, modice siccatae Libr. duodecim, Ol. Terebinth. Unc. sex, Aq. comm. q. s.; destillatio fiat ex vesica, Oleum innatans lege artis discernatur. *Vis:* anthelmintica, antiepileptica. *Usus:* in dysuria spastica, contra vermes, in morbo duado.

OLEUM ACORI vid. Oleum Calami.

OLEUM ACUSTICUM s. ad aures. *Dhröl.*

CADET: Rec. Balsami tranquill. Drachm. duas. Ol. Rutae coct. Unc. semis, Balsami Sulphur. terebinth., Tinct. Asae foetid., Tinct. Ambr. gris., — Castorei, Ol. Succini rect. $\frac{ss}{ss}$ Drachm. duas. *MAULE:* Ol. Terebinth. Gutt. 40, Ol. Amygdalar. dulc. Unc. semis.

OLEUM AETHEREUM vid. nomina Oleorum absque cognomine aetherei. Quod a Ph. Lond. aethereum dicitur vid. voce Oleum Vini dulce.

OLEUM AGRIPPAE vid. Oleum Bryoniae compositum.

OLEUM ALOES.

Rec. Aloës Soccotr. q. s., destillet (absque aqua) ex retorta, donec massa carbonacea supersit. Est Oleum empyreumaticum plano rejiciendum.

OLEUM ALTHAEAE Ph. Hisp.

Rec. Rad. Althaeae Unc. tres, Olei Olivar. Unc. octo, digere per tres dies aut quatuor, tum coque ad humidam consumptionem et exprime.

OLEUM AMMONIACI Ph. Wirt.

Rec. Gummi Ammoniaci Libr. unam, Aerenae lotae Libr. unam et semis; destillatio fiat. Oleum supernatans a reliquo liquore separatur.

OLEUM AMMONIATUM vid. Linimentum volatile (p. 514).

† **OLEUM AMYGDALARUM AMARARUM**, Oleum essentielle Amygdalarum amararum. *Bittermandelöl. Huile d'amandes amères.*

Rec. Amygdalarum amararum q. v., contunde in mortario in pulverem grossiusculum, quem sacculis cannabini inclusum in prelo torculari fortiter exprime. Placentas expressas cum aqua communi frigida in pulvem liquidam redige, quam per noctem macerandam seponere. Destillatio instituat ex vase idoneo per vapores aquae, qui per massam tenuem amygdalaceam transducantur, et in serpente stannea condensentur. Destillatio fiat, quamdiu Aqua satis fragrans prodit. Oleo innatante separato, Aqua novae destillationi subiciatur vel cum novis Amygdalarum placentis commisceatur. *Vis:* maxime venenosa. *Usus:* sicuti Acidi hydrocyanici.

Nisi apparatus idoneus ad evolvendos vapores aquosos tibi est in promptu, vesica ordinaria tali modo in eundem usum advocatur. In vesicae fundo stratum straminis, digitos duos ad tres altum, est concipiendum, in hoc tela cannabina grossioris texturae, marginibus ad parietes vesicae rectis, expandatur, et Aquae communis tanta copia in vesicam immittatur, ut aliquantulum supra telam cannabinam emi-